



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XXIII. Differentia 8. Iure Canonico in libertis Ecclesiæ multa specialia
servantur, de quibus in

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

*Iure Canonico in libertis Ecclesie multa specialia servantur, de quibus in
De famulis Ecclesie, tit. de servis non ordinandis. Sed Iure
civilis enumerata ibi non inveniuntur competere patronis
eorum, tit. de operis libertorum, c. 1. 38.*

Ioann. Bapt. à S. Blasio 135.

I. **L**iberti vocantur, quos cum servi essent, domini liberos fecerunt per manumissionem. Unde illorum patroni quasi patres, qui in vitam ex morte revocant, appellati sunt. Et inestimabile jus centetur, habere libertum, *l. Naturales, §. fin. de præs. verb.* indeque obstrictus manet libertus patrono propter libertatem, quam à patrono liberaliter consecutus est. Eorum tria genera recensentur *Instit. l. 1. tit. 5.* ubi Cajus accutat: Libertorum ideo non unus status est, quia tria sunt genera libertatum. Unde liberti aut cives Romani sunt, aut Latini, aut dedititii. Cives Romani sunt, qui testamento, vel in æde sacra, vel ante Consulem fuerunt manumissi. Latini, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur. De dedititiis, qui post admitta crimina supplicio subditi, aut propter crimina publicè casti, aut in quorum facie, vel corpore quæcunque indicia aut igne, aut ferro impressa, sunt, ita ut deleri non possint: hi si manumissi fuerint, de dedititiis appellantur. Inter hæc tria genera cives Romani meliorem statum habent, quia & testamento condere possunt, & ex testamento quibuscumque personis succedere, quod

reliquis negatur. *Azov. II. l. 2. c. 33. q. 5.*

II. De libertorum officio, obligatione, & operis multa inveniuntur constituta in *lib. 38. c. tit. 1.* quæ ibid. *Glossa* explicat. At verò in *c. de famul. Eccles.* quod Bapt. à S. Blasio citat, ista tantum sanciuntur. 1. Licere eos presbyteros, & Diaconos per paræcias constituere, si antea manumissi, & in libertatem plenè affecti sint. 2. Bona temporalia, quæ vel donatione, vel industriâ suâ acquisiverunt, non posse in personam extraneam transmitti, sed Ecclesie, à qua manumissi sunt, tradenda esse. 3. Si Ecclesiam accusent, vel contra eam testificentur, & libertate, & honoris gradu, quem necessitate temporis meruerint, privandos esse. In lequentibus cap. definitur amplius: *Primo*, ut illi tantum Ecclesie, à qua quisque manumissus est, serviat. *Secundo*, dicta de Diacono extendi ad subdiaconum quoque. *Tertio*, natum ex servo, & libera matre ordinari posse ut libertum, quia parte ventrem sequitur. Hæc ead. in legibus non reperiri fateor, sed nec ab

illis rejiciuntur. *V. Tholos. l. 14.*

c. 7. & 8 Vvesenbec.

l. 40. ff.